



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 5. Nunquamne licet procurare abortum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ter intentionem sequatur mors innocentis. Ita passim Doctores, qui docent 1. In bello justo licere duci ad expugnandos hostes dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter ejus intentionem perituri sunt: tunc enim non censetur moraliter causa illorum mortis, sed solum illam permittere, nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus. 2. Licere civitati cogere civem innocentem ad adeundum tyrannum, qui civitati excidium minaretur, nisi civis ille sibi traderetur, licet prævideretur occidendus; nam civitas potest cogere cives ad id, ad quod jure naturali tenentur: at innocens ille jure naturali tenetur vitam certo mortis periculo exponere propter bonum commune. Quod si civis ille nollet obtemperare, jam verè non esset innocens: unde jam posset à Rep. tyranno tradi. Secus, si tyrannus peteret virginem ad illam stuprandam: nam non posset à Rep. cogi ad adeundum tyrannum, tum propter animæ periculum; tum quia illum adire in talibus circumstantiis est consentire luxuriæ.

Q. 5. Nunquàmne licet procurare abortum?

Resp. I. Per se semper est mortale directè impedire, ne foetus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel foetum ejicere. Prob. 1. ex S. Basil. Epist. ad Amphil. Quæ de industria foetum corrumpit, cadis pœnas luat. Formati autem

autem, vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Et ex conciliis Eliberit. Ancyra. Mogunt. Wormat. & ex cap. 5. de Homic. ibi: Si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur. 2. Innoc. XI. damnavit hanc propos. Licet procurare abortum ante animationem, ne puella deprehensa occidatur, aut infametur. 3. Hoc repugnat bono speciei humanæ, & naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem, & speciei humanæ conservationem, ac propagationem: ideoque ingens scelus est. Idque debuit in omni casu à DEO prohiberi; nam si id aliquando liceret, periculum esset ne homines delectatione copulæ contenti, partum prolis negligenter, & sæpè impedirent ex aliquo pretextu, ut curis, & laboribus prolis liberarentur: quod cederet in detrimentum speciei humanæ, & foret occasio fornicationi, & stupris, à quibus absterret timor prolis. Hoc tamen scelus non est propriè, ac strictè homicidium, ex cap. 20. de Homic. ubi dicitur non inducere irregularitatem; nam fœtus inanimis non est simpliciter, & completè homo: homo enim est compositum ex corpore, & anima spiritali unitis.

Resp. II. Qui animato fœtui abortum procurat verè, ac propriè homicidium committit. Nam revera hominem injustè occidit, ideoque

que fit irregularis, exc. cit. item ex constitut. Sixti V. & Greg. XIV. excommunicatus est. Quòd si parens id faciat, verè fit parricida: quare nunquam licet abortum foetus animati procurare, et an si alio qui sit periculum, ne foetus simul cum Matre intereat; quia nunquam licet occidere innocentem, etiam ad servandam alterius vitam. eodem die si dubium sit, an foetus sit animatus; quia esset se exponere periculo occidendi innocentem.

Hinc mortaliter peccant Medici, vel alii qui dant potiones ad procurandum abortum, five foetus sit animatus, five non, & mulieres sumentes. Item qui abortui occasionem præbent etiam præter intentionem; dando operam rei illicitæ, vel debitam cautionem omitendo: ut si quis percutiat mulierem gravidam, *vel si ipsa nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas lascivias*, ait Sanctæ Antonin.

*Not. Innoc. XI. damnavit hanc proposi-
tionem: Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Cum autem incertum sit animationis tempus; alii enim assignant diem à conceptu 30. vel 40. pro mare & 50. vel 80. pro foemina; alii aliter; raro abest periculum homicidii in procurando abortu.

Sed

Sed num licet ad Matris conservationem ei præbere pharmacum, quo foetus putetur moriturus?

Resp. I. Non licet præbere Matri, nec ei sumere remedium ex vi sua ordinatum ad expulsionem foetus sive animati sive inanimati, etiam si certa sit utriusque mors, si non adhibeatur, & probabile sit Matrem servandam esse illo adhibito. Ita *Azor, De Lugo, Sylvius, & alii.* quia hoc esset procurare abortum directè, seu ex natura operis, quod est semper intrinsicè malum, utpote contra naturam, & finem generationis. idque etiam si foetus non sit animatus; nam ex natura rei, & ordinatione auctoris naturæ foetus concipitur, ut animetur, & animatus edatur in lucem. Multò minus id licet post animationem foetus: nunquam enim licet occidere directè innocentem, ut alius servetur. Nec infans est injustus aggressor vitæ Matris, nihil enim iniustum contra eam molitur; nec est membrum seu pars physica Matris, cum sit homo ab illâ realiter distinctus.

Resp. II. Ex communi, licet Matri sumere, & ei præbere remedium per se curativum Matris, nec per se tendens ad abortionem, quamvis sit periculum, ne inde abortio sequatur; modò constet foetum non esse animatum, & Mater alioqui moritura esset: quia tunc si abortio contingat, non censetur procurata, sed solum permessa; nam præter intentionem nec

ex ipso opere contingit, Matre utente jure suo: Mater enim in tali casu non privatur jure utendi remediis ad vitæ suæ conservationem necessariis, nec per se abortum procurantibus. Non licet tamen Matri non ex morbo periclitanti sumere, nec ei dare pharmacum quodvis, quo expellatur, vel expelli possit foetus etiam inanimatus; quamvis Matri immineret infamia, vel mors inferenda ab extrinseco: quia tunc directè intenditur abortus ad vitandam infamiam per mortem: nam pharmacum per se directè nihil facit ad alterutram vitandam, nisi per expulsionem foetus tanquam medium; nec sumitur nisi ex intentione procurandi abortus ut mediis ad vitandam infamiam, vel mortem. *Azor, Cardenas, &c.*

Resp. III. Si proles sit animata, vel dubitetur an sit, est mortale adhibere remedium directè curativum Matris, sed cum periculo mortis foetus, si probabile est eo non sumpro prolem vivam edendam esse, & sic Baptizandam. *Est communis.* quia Mater tenetur salutem æternam proles in extrema necessitate præferre vitæ propriæ corporali. Non tamen licet Matrem discindere, ut proles Baptizetur; quia directè occidere innocentem est intrinsecè malum; ideóque illicitum ob ullum finem bonum: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Rom. 3.*

Quòd si æquale periculum est abortus sive remedium sumatur, sive non, licet Matri illud sumere:

sumere: quia tunc sine majorē periculo ac damno foetus consultitur vitæ Matris.

Q. 6. *An licet injustum aggressorem actualem occidere in vitæ suæ defensionem?*

Resp. Ex S. Thom. Catechismo Romano, & communi sententiâ Doctorum, licet omnibus, cum moderamine inculpatae tutelæ. Quia 1. Exodi 22. qui furem nocturnum occidit, dicitur non esse reus mortis; quia nempe fur ille præsumitur venisse animo non solum furandi, sed etiam occidendi, ut explicat S. August. 2. ex cap. 18. de Homic. *Vim vi repellere omnes leges; & omnia jura permittunt.* 3. Homo habet jus conservandi vitam injustè oppugnatam, & illam præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia in hoc periculum mortis conjicit.

Sed ut hoc licitum sit, quædam requiruntur. 1. Ut sit actualis aggressio; nam ante actum aggressionis, & post eum occidere non licet, quia nulla est tunc vis repellenda; nec opus est defensione, ubi non est aggressio. Hinc ex communi sententiâ non licet occidere, aut repercutere eum, qui percussit, & jam fugit, vel certè destitit, aut ob vulnus acceptum non potest jam nocere; tunc enim occisio, vel percussio non est necessaria ad propulsandam injuriam, cum jam illata sit, & jam cessarit aggressio; unde esset ultio, quæ privato nunquam licita est. Item qui scit alium

P a

se que-